



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 41. Alia ejusdem Auctoris opera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67192

Porro Castallio relicta Geneva Ba- **Sæcul XVI.**
 fileam contendit, ubi linguam Græcam
 tradere jussus, reliquos vitæ suæ dies
 ibidem transegit, donec die vigesima
 nona Decembris anno ætatis suæ qua-
 dragesimo octavo decederet ex lue pesti-
 lenti, quæ hoc anno vehementer per
 totam Germaniam grassata est, adeo
 ut Francofurti, Norimbergæ, Magde-
 burgi, Hamburgi, Dantisci, & per ci-
 vitates Vandalicas, ac maritimæ in au-
 tumno uno plusquam trecenta millia
 hominum hæc contagies absumeret:
 porro Castallio sepultus est in Majori
 Ecclesia Basileensi, funus curantibus
 tribus Polonis nobilibus, qui olim ejus
 Scholam frequentantes, Magistri sui
 monumentum honorifica inscriptione
 decorabant.

§. XLI.

Alia ejusdem Auctoris opera.

Hic idem Scriptor Basileensibus lite- **Epit. Bibl.**
 ris excudi curabat quatuor Dia- **Gesneri**
 logorum libros, in quibus celebriores **pag. 745.**
 facri Codicis historiæ eleganti sermone
 latino descriptæ continentur, hocque
 opus postea iterato prælo prodit: elu-
 cubrabat pariter anno reparatæ salutis
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 sexto unacum annotationibus Sybilla-
 rum carmina, quæ ipse versibus, ut vo-

P 2 cant,

Sæcul. XVI

A.C. 1563

cant, heroicis unacum Moysis Prophetæ
 libris latine reddidit. Postea anno
 Christi millesimo quingentesimo quadra-
 gesimo septimo Davidis Psalmos, cete-
 raque omnia sacræ Scripturæ Cantica
 in latinum idioma transtulit: anno au-
 tem Domini millesimo quingentesimo
 quadragesimo octavo typis vulgabat
 quoddam in S. Joannis Baptiste vitam
 poema græcum, necnon aliud latinum,
 quod Jonæ Prophetæ paraphrasis est:
 insuper plures celebris Ochini tractatus
 italice scriptos, ac nominatim triginta
 illius Dialogos, qui tantos concitabant
 tumultus, latinitate donabat, ejus ta-
 men adnotaciones in epistolam ad Ro-
 manos a Basileensi Senatu fuerunt dam-
 natæ, eoque in illis errores circa præ-
 destinationem, & gratiam deprehende-
 rentur: nihilominus eas Gallice redi-
 tas in vulgus spargere non dubitabat.
 Accusabatur etiam de Enthusiasmo,
 cui accusationi occasionem dedit per
 versionem libri, cui titulus, *Theologia
 Germanica*, quem librum Phanatismo
 plenum ipse sub nomine *Joannis Theo-
 phili* latine reddidit, quamvis ex hujus
 libri lectione quamplurimi in Belgio se-
 ducti fuerint. Præterea anno post Chri-
 stum natum millesimo quingentesimo
 quinquagesimo octavo apologiam edi-
 dit, in qua de duobus Calvini libellis
 queri-



queritur, quorum primus anno Incar-^{Sæcul. XVI.}
nationis Dominicæ millesimo quingen-^{A. C 1563.}
tesimo quinquagesimo septimo excusus
inscribebatur: *responsum ad quasdam ca-*
lumnias, & blasphemias &c. alter vero
latine anno sequenti editus hunc titu-
lum præferebat: *calumniæ cuiusdam*
Nebulonis. In hac apologia profitetur
Castallio, quod duos libros, quos Cal-
vinus ei adscripserat, nunquam con-
spexerit, insuper non modo ea, quæ
in sacro Evangelio contra fratris sui ca-
lumniatorem pronuntiantur, eidem ob-
trudit, sed etiam ei objicit illa, quæ
ipse Calvinus in vita Christiani scripta
reliquerat: speciatim vero impactum
sibi crimen furti, perfidiæ, crudelita-
tis, & blasphemiae diluit: ceterum ex
iis, quæ ad objectum furti scelus re-
spondet, ipsum summa egestate fuisse
pressum manifeste colligitur.

§. XLII.

*Carolus Molinæus Lugduni captus,
ac demum liber dimissus.*

Hoc item anno Carolus Molinæus Jurisconsultus, cujus jam supra me-
minimus, novo rursus infortunio ve-
xabatur; cum enim ob tumultus anno
priori Parisiis exortos die tertia Junii
unacum uxore sua secundis nuptiis sibi
uncta nomine Joanna Viviera, suisque